

mutationes intempestive & tumultuanter instituerat, cum Lutherus in suo Pathmo delitesceret, sed etiam anno 1524. femina, scintillas & flammam impiae Berengarii doctrinae, veram corporis & sanguinis Christi in Coena Dominica praesentiam pernegans, sparsit, aliisque communicare perrexit, sane, ibi Lutherus eum nequaquam primo statim excitatae disputationis fervore, scripto quodam publico confutavit, imo, cum ex Pathmo redux factus, hac de re concionem gravissimam habuisset, in ea tamen Carolstadii nomini ac famae prudenter pepercit. Quod ad ERASMVVM attinet, LVTHERVS non ERASMO, sed ERASMVVS *Luthero* bellum indixit, qui instinctu Regis Angliae *de libero arbitrio* in hominis conversione cum ipso acerrime postulavit. VLRICVS ZVINGLIVS ac JOANNES OECOLAMPADIVS, dogma Carolstadii de Coena Domini amplexi, non prius a Luthero confutati sunt, quam, cum editis multis libris hoc tutari conati fuerint. Initia *Antinomiae*, quae JOANNEM AGRICOLAM autorem agnoscunt, a Luthero minime sparsa, multominus adaueta & promota. Delirium denique *Thomae Münzeri, Anabaptistarum*, & deinceps *Schwenckfeldii* latissime sese extendens, & in Ecclesiae imo Reipublicae tranquillitatem, instar veneni propagatum, Luthero non disceptandi occasionem, sed summam & absolutam necessitatem eos confutandi imposuit. Ad quorum evulgata somnia si Lutherus tacuisset, & iis se non fortiter opposuisset, in culpa merito adhuc existeret omnis per Enthusiastas ad Evangelii contumeliam vergentis excitati furoris. Sed reclamant nunc, (quo nomine Luthe- ro & nostrae Ecclesiae maximopere gratulamur,) non pauca, sed multa Lutheri instituta, ad gloriam Reformationis adversus Fanaticorum insaniam vindicandam, omnino suscepta.